Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30390
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

forte enim hoc erat quod petrus audire voluit cum tanta fidu
cia dominum tantaque libertate conuenit. Ecce inquid nos reliquimus
omnia et secuti sumus te. XXIII

Nota ad modum questio est quemadmodum petrus
cum nil fere ex omnibus habuisse sciatur. tam fiducialiter
gloriatur se se omnia reliquisse. Unde sanctorum quispiam (Jero.) omnia in
quod deseruit. quo uoluntatem habendi dereliquid. fidelis sermo
sed forsitan clausus et ipse est. Numquid enim uoluntas habendi
omnia sic complectitur: ut reliquisse illam sit omnia deseru
isse. Quis enim hominum omnia desiderare possit. ne dum pis
cator ille. ille pauper et modicus. Sed quid cuique sufficere possit
diligentius inuestigato et facile est inuenire omnia desiderantem.
Neque enim ponere est concupiscentie modum donec uideatur
impleta. donec adepta sit quibus ualeat esse contenta. Ceterum nec
amor pecunie dicet aliquando sufficit. nec libidinosus saciabitur
uoluptate. Sic et crudelis quisque semper sanguinem sitit. et ambici
osus et cupidus laudis humane adeptus dignitatum titulis. seu
fauoribus nullum exinde capit omnino remedium. sed desidio
estuat ampliori. Comminus autem inuenit regem qui sibi placere cu
pit et suis de semetipso testimoniis gloriatur dicens. manus
mea excelsa et putans se se aliquid esse cum nichil sit.

Vidi ego aliquando quinque uiros. quos nisi freneticos XXIIII
arbitrarer. Primus siquidem buccis tumentibus marinam
masticabat arenam. Secundus sulphureo astans lacui exalan
tem teterrimum fetidissimumque gestiebat haurire uaporem
Tercius fornaci incubans uehementer accense mican
tes scintillas hiantibus excipere faucibus letabatur. Quartus super
pinnaculum templi residens. leuioris aure spiritum aperto attra
hebat ore. et siquominus influere uideretur flagello sibi uen
tum ipse ciebat. ac si totum sparet. aerem deglutire. Quintus se
orsum positus. ridebat ceteros. ipse quoque ridendus. et maxi
me. Proprias enim carnes incredibili studio sugere laborabat
nec manum nec brachium nec alias partes applicans ori.